**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

# Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

**[Reichenau ?], [15. Jh.]**

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

desiderium tuum dare visitas. Amen. De appa-
ricione domini in templo capitulum XI

Tricesima decima vero die puer ille se
manifestavit gentibus id est magis
qui erant gentiles. Prophetatum seu
vaticinatum quippe fuerat per
Balaam prophetam gentilium quod orietur stel-
la ex Jacob et exurget homo de Israel. Ubi osten-
ditur quod ortus nove stelle apparentis erat signum
Christi nascentis. Isti ergo videntes novam stel-
lam cognoverunt per inspirationem divinam
quod illa erat que per Balaam predicta fuerat
et ideo statim moverunt se de locis suis ut
ad venerandum puerum natum venirent. Isti
a Balaam originem duxerant et non minus
fidei quam generis successores et heredes
erant. Unde non a magica arte sed a magnitu-
dine sapientie vocati sunt magi, qui in sapientia
magni et erant in scientia astrorum periti.
Quos enim hebrei scribas, greci philosophos, latini
non maleficos sed sapientes pronunciare fidei
nite. Tamen ideo etiam reges dicti sunt, quia
illo tempore philosophi et sapientes regnare sole-
bant. Unde et de antiquorum temporum fe-
licitate Seneca sic dicit: Summa felicitas
erat gencium, in quibus non poterat po-
tencior esse nisi melior. Illo ergo seculo
quod aureum perhibetur officium erat impe-
rare non regnum. Parum erat regi sine arte
et sine difficultate sibi invenire aliquod
receptaculum. Unde de quodam philosopho eius
tempestate statim subiunxit: Dyogenes de
dolio cum vidisset puerum cava manu
aquam bibentem fregit protinus exemptum
de pera calicem hac obiurgacione sui:
Quamdiu homo stultus supervacuas sar-
cinas habui. Tum se complicavit in dolio
et in eo cubitavit. Hec Seneca. O quantum
distat inter reges huius temporis et illius,
quoniam omnia illa illis contraria sed divicias
honores et delicias querunt, et ideo in

futuro forte penes gentibus habebitur. Et
venerunt magi ab oriente id est a partibus que
respectu Jerusalem sunt versus orientem, ut sicut Christus
undique nascitur inde procederet fides unde
et fides lumen est cunctorum. Et secundum Chery-
menis ab oriente venerunt quia plenam iusticie
novum nobis ortum annunciant. Lucifer in
moribus totum mundum illuminat. Ve-
nerunt autem specialiter de finibus persarum,
medorum et caldeorum, ubi fluvius est Saba,
a quo et Sabea regio illa dicitur. Unde quia
est Arabia ubi magi reges fuisse memorantur.
Sunt autem due Arabie, una germina et
oriana Indie, et respectu Jerusalem ab oriente dicitur
videntur magi venisse. Alia germina Indie
distans a Jerusalem quasi unius anni itinere, — nota
et de hac ista xiij dies non poterat venire.
Unde Remigius: Credendum est quod alique potestas
dicte quod puer qui tunc natus est in tam brevi
spacio temporis de ultimis finibus terre
eos ad se perducere potuit. Vel si fuerunt suc-
cessores Balaam, regio istorum non longe
distat a terra promissionis. Ideo in tam
brevi temporis spacio Jerusalem venire potue-
runt. Hec Remigius. Factum est autem ut visa stel-
la quidquid per eam significabatur sancti
spiritus illustracione mox intelligerent.
Christum scilicet deum et hominem in stella
querebant, quem divina inspiracione per stel-
lam significari intelligebant. Ista stella dif- — nota proprietates de stella
ferebat ab aliis multipliciter. Primo in
substantia, quia aliarum stellarum materia est materie ce-
lestis et quinte essencie; hec autem de substantia
corruptibili fuit. Secundo quo ad eius
principium effectivum, quia alie stelle a deo
per verbum create sunt nulla cooperante
natura, sed ista ministerio angeli nuebis facta
est. Tercio in duracione, quia alie sunt a
principio mundi condite et in eternum ma-
nebunt, ista Christo nato creata est et postea
esse desinit. Quarto in situ, quia alie sunt